



Nf. 61.

DE MIRACULIS N. T.  
MELETEMATA

---

PRAESIDE

VIRO S. REVERENDO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

GOTTLOB CHRISTIANO STORR

THEOL. D. ET PROF. PUBL. ORD. STIP. THEOL.

SUPERATTENDENTE

FAUTORE SUO AC PRÆCEPTORE PIE COLENDO

DISPUTATUS

SCRIPSIT

JONATHAN FRIDERICUS BAHNMAIER

A. A. M.

OBERSTENFELDENSIS.

ot

---

TUBINGÆ D. SEPT. MDCCXCVII.

TYPIS FUESIANIS.

СИЛЛАМ

АГАИЯ ТЕАМ

— ДЕВАНГАЛ

— ОДИССОДОУА СИЛЛАМ АГАИЯ

2 Cor. II. 17.

— — — εκενεις κατηγορευοντες τον λογον του Θεου.

— — — ΑΓΑΙΑ ΤΕΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΕΩΣ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

— — — ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ ΣΙΛΛΑΜ

**Q**ui nostro ævo existitare Theologi complures argumentum illud pro veritate religionis christianæ, quod e miraculis sumi hoc usque solebat, aut plane rejiciunt, aut ita conformant, ut non ex rei mirabilitate, sed ex artificio quodam providentiae veritas religionis christianæ elicatur, quo rerum hominumque ingenia numen ita præformaverit, ut immenso fraudium piarum numero ita perculsi sint hominum rudium animi, ut, saltim per aliquod tempus, doctorem tantas res patrarentem pro divino haberent. Sunt denique, qui non ipsam quidem vim argumenti negare videntur, sed abstinenter putant esse ab argumentis, quibus plerique nullam vim inesse perhibeant. Causa pro vario, quod amplectuntur, philosophandi genere, varia esse potest vel dubitationis vel repudiationis. Alii enim sumta immutabili atque inexorabili naturæ lege philosophi, (dogmaticos vocant) fieri aliquid præter naturam, solaque vi divina produci posse negant; alii concedunt fieri posse; quod factum sit intelligi posse, non concedunt. Atque hi vel omnino de veritate historica addubitant vel eas saltim historias quæ Novi Testamenti miracula continent extra omnem dubitationem positas esse negant; vel concessa veritate miraculorum historica criticorum illud philosophema in auxilium vocant: Causas rerum quæ sensuum organa feriant, non esse nisi intra hos spati & temporis fines quærendas. Sunt denique, qui populari quadam, quod vocant philosophandi genere usi, ea quæ, quia fieri non solent, admirationem movent, nesciuncur? aut rejicienda putant aut in medio esse relinquenda, vel si non interrupta testium serie confirmarentur.

Facile fieri potest, ut sonantibus undique vocibus sententiae cuidam adversis vel ei qui aliam hic usque sententiam secutus erat, nec sine gravibus argumentis se hanc potius quam aliam sententiam secutum esse sibi persuaserat, animus cadere incipiat; fieri eam ipsam ob causam potest ut argumentis suis vel ipse diffidat neque ulterius rem persequi audeat, vel si non satis inte-

gro sit animo, vago disputandi genere verborumve tenebris ani-  
mi sensa obvolvat, ut gloriolæ suæ apud utramque partem consulat.  
Nos vero ita nobis persuasimus, non ex seftatorum numero aut  
ætatis arbitrio, sed ex argumentorum, philosophicorum, si in ra-  
tionis, historicorum, si in sensuum ditionem res cadat, gravitate  
cognosci posse veritatem; & quæ semel ex argumentis quæ satis-  
ficiant, vera cognoveris, ea esse retinenda, donec adversariis qui-  
busdam placuerit argumentorum potius vi, quam facetiis, ver-  
borumve cavillationibus, hariolationibus, & humanæ auctoritatis  
oraculis ) vincere, neque bonorum atqæ ingenuorum adversa-  
torum bonitatem argumentorum loco admittere, quod error in  
bonos æque ac in malos cadat. Præterea veritati non bene con-  
suli nobis videtur obscuro illo atque ambiguo dividendi genere, quo-  
niam facile fit, ut homines indocti & rudes auditis adversariorum  
parum humanorum triumphantibus ex orthodoxa fide vocibus,  
atque ex altera parte iis quorum esset defendere, de rei eventu  
anxie dubitantibus atque latibula & cavernas pro palæstra que-  
rentibus, ut inquam rudes & indocti homines qui causæ iustitiam  
ex eventu judicare solent aut exsultent gaudio aut illachryman-  
tes de veritatis casu desperent, aut, ut nostra ætate plurimi so-  
lent, hæreant incerti, quid de eo, quod multis saltim unicus fa-  
lutis suæ fons est, judicandum sit.

H's permoti argumentis, quid de interpretationibus nonnullis rerum earum, quas in historia Christi præter naturam factas esse sacri scriptores memorant, cogitemus, ausi sumus.

§. I.

1) Abhorret sane ab ingenio secu-  
li nostri oracula ejusmodi audire,  
nihil vero minus audiuntur cf. Lib.  
inscriptum: Versuch die Wunderge-  
schichten des Neuen Testaments aus  
natürlichen Ursachen zu erklären  
von J. C. F. Eck, Berlin 1795. e. g.  
p. 5. ubi iis tantum inter viros do-  
ctissimos ævi nostri locus conceditur,  
qui sententiae auctoris de consilio  
miraculorum nomen dedere. Taceo

scriptum novissime editum: das über-  
natürliche des neuen Test. natürliche  
erklärt. Frankfurt u. Leipz. 1797. ubi  
eorum, quæ Theologi Christiani ad  
defensionem orthodoxæ de miracu-  
lis sententiæ, protulere, nihil don-  
us erat — quamvis titulus tritum il-  
lud & saepissime perverso usu inqui-  
natum καντα δοκιμαζεται — exhibeat.  
Quod sane excusatione illa (Præf.  
p. 8. nr. 3) non tollitur.

## §. I.

**P**rima certe quæstio lectori narrationum earum quæ in Novo Testamento hoc usque miracula continere putabantur, occurrentis, hæc est: quid ipsi de se & de miraculis suis Christus ejusque Apostoli cogitaverint? 1) Quæ vario modo solvi solet. Sunt enim qui ipsum miraculorum auctorem credidisse, quod miracula quæ fecerit, veri nominis miracula, i.e. cooperantis cum Doctore Numinis indicia sint, negent; sunt, qui perhibeant, ipsum quidem Christum & Apostolos miraculis, quæ satis audacter expectaverint, vim illam tribuisse, sed errasse, ævi universi miraculis suis aliorumque fidem habentis errore inductos; sunt, qui Christum bene scientem, quibus Naturæ legibus factum sit id, quod pro miraculo vendebatur, propterea hominis vires humanam naturam excedentes habentis speciem præ se tulisse, aut certe concessisse putent, ut talis haberetur, quod viderit non posse se alter homines ad audiendam suam doctrinam cogere neque aliter auctoritatem, ad evehendam rem christianam quam maxime necessariam, sibi conciliare; sperasse autem, fore, ut succrescente intellectu generis humani atque evanescente miraculorum cupiditate dominans doctrina nullo externorum argumentorum auxilio egens internis argumentis satis firmis niteretur 2). Sunt denique qui Christum & Apostolos pro erronibus magno præditis ingenio habent, qui de ingenio & vi miraculorum quid sentiant, ipsi plane ignoraverint.

## §. 2.

- 
- 2) Quæstio hæc, hoc loco sic intelligenda est: quæ in iis scriptis, quibus hæ narrationes continentur, opinio de miraculis suis Christo adscribatur? quod solis hermenevticæ legibus, non hypothesibus, elicitur. Alia est quæstio, an fides habenda sit his testimoniosis, quæ alio loco nobis posita est, quoniam absurdum est, prius, ut sæpe fit hariolari quid cogitare potuerint, & tum demum mixtam ex his hariolationibus opinionem scriptis infundere. In omni historia primum id, querendum est: quid sensus doceant? quid scriptum sit?
- 3) Videri possit, confundi hoc loco prima quæstio cum ea, quam secundo loco posuimus, sed rem ipsam consideranti mihi confusio hæc in ipsa hujus opinionis natura posita esse videtur.

## §. 2.

Soluta quæstione hac, alia occurrit, quæ simul quomodo de integritate Christi judicandum sit, luculentius aperit, illa scilicet: quid miraculis suis Christus & Apostoli sibi voluerint? 4) cur miracula fecerint? facile videmus etiam hanc quæstionem vario modo solvi posse *pro varia antecedentis quæstionis solutione*. Qui enim miracula Christi ab ipso auctore pro factis habita esse credit, quæ Dei omnipotentia patrata sint præter naturam; in iisdem narrationibus inveniet, cur credat Iesum ea facta propterea a numine sibi concedi putasse, ut iis declararetur, doctrinæ suæ, eam ipsam ob causam, quod Deus mirifico modo consensum suum cum doctore ostenderit, fidem esse habendam. Alii contra qui negant, aut in dubio certe relinquunt quod miracula illa præter naturam evenierint, sententiæ contrariæ magis faventes propterea miraculis usum esse Christum potius sibi persuadunt, ut populum ad audiendum se verba facientem cogeret, ut quæ ex Messia postulare solebant populares, præstaret, atque ut animum omnibus amicum hominibus miraculorum salubritate ostenderet; idem fere statuerint isti, si modo opus esse credant, ut aliquid de hac re statuatur, qui Christum miraculorum suorum naturam ignorasse opinantur.

## §. 3.

Quæritur porro: an eæ narrationes, de quibus sermo est, ita sint comparatae, an id, quod vidisse, audivisse, contrectasse se narrant scriptores, sit ejusmodi, ut nonnisi vocata in auxilium virtute divina consilio quodam adhibita explicari possint? Respondent alii: nihil plane narrari quod a legibus naturæ abhorreat; alii: multa quidem, sed non omnia quæ hoc usque pro miraculis habita sint, esse ejusmodi, sed multa lectorum cupiditate corrupta; alii: omnia miraculis scatere.

## §. 4.

4) Etiam hæc quæstio mere exegética esse debet, nisi forte concedere quis velit consilia hominum certò intelligi debere non ex dictis & factis, sed ex cogitationibus nostris de iis, quæ nos ipsi pro unice bo-

nis & rationi consentaneis habemus consiliis. Quod nemo certe concedet, qui cogitaverit, fieri posse & sœpe fieri, ut homines de maximis rebus dissentiant.

## §. 4.

Quas interea commemoravimus quæstiones, eæ hermeneuticas & exegesis limites non excedunt. Sed postquam ea, quæ in libris continentur, pura ab omnibus sive opinionum nostrarum, sive iis additamentis, quæ removere critics est<sup>5)</sup> ex ipso fonte hauimus, accedit *ars historica* quærens, quid demum de eo quod in narrationibus illis historicum est i. e. quod sensibus observari potuit, pro vero sit habendum? Et si ab eorum fictionibus discesseris, qui omnia, quæ in originibus christianis præter naturam facta narrantur, pro allegoris venditabant; ægrotos vocari homines perditos, mortuos pravitate morum infelices, & miraculosa Christi auxilia nihil esse nisi miram doctrinæ suæ & dignitatis ad corrigendos hominum animos efficaciam; si, inquam, ab horum fictionibus discesseris, tribus omnino modis de historicâ miraculorum veritate statui potest. Aut enim universa de Christo fabula pro vili hominis impostoris figmento judicatur<sup>6)</sup>, qui ad introducendam in genus humanum salutarem aliquatenus doctrinam hac potissimum via uti voluerit, ut doctrinam istam personam hominis cuiusdam induens doceret quem divina ornatum a se auctoritate, ævi superstitionis oculis objiceret; aut omnia quæ de Christi rebus in libris N. T. leguntur ea fidei integritate tradita creditur, ut nihil insit fictum, nihil fabulosum, nihil, neque mala

fide

5) Hoc etiam non negligendum, ut ne operam perdamus verbis, quæ non sunt genuina. Quod si cogitasset auctor libri: Medizinisch hermeneutische Untersuchung der in der Bibel vorkommenden Krankengeschichten &c. non in interpretandis versibus Joh. V, v.3—6. οὐποιοῦται — νοσητοῖς laborasset, quoniam non Iohannis verba sunt, sed glossatoris, intelligere cupientis causam cur mota aqua sanatio fieri possit, cf. GRIESBACH Ed. N. T. Hild 1796. ad b. l. in plurimis enim codicibus non existant, in cæteris varie posita leguntur,

6) ita e. g. Italus ille, cuius epistolam Clericus in libro: Bibliothèque ancienne & moderne T. 3. p. 440 — 457 refutat, sœculo demum quinto Apostolorum & Patrum scripta ab impostoribus quibusdam facta esse somniat, Paulo liberalius judicat Angus Chubb, qui in operibus suis, quæ post obitum auctoris editæ sunt, perhibet, ita corrupta esse fraude ecclesiæ Romanæ scripta Apostolorum ut, quid genuinum sit, erui non possit, cf. LELAND Abriss der vornehmsten Deistischen Schriften germ. vers. a H. G. SCHMID, Hanov, 1755, p. 454 f.

fide, neque ævi de natura ignorantis injuria, bona fide quidem perperam narratum.

Tertium genus est eorum, qui medium quandam ingressi viam, de originibus christianis id statuunt, quod Livius aliique de Romanis aliorumve populorum originibus judicarunt: (Livii hist. præf. p. 1. Ed. Ernest.) „quæ de incunabulis populorum „poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gesta- „rum monumentis, tradantur ea nec affirmare nec refellere in „animo esse. Dari hanc veniam antiquitati, ut miscendo huma- „na divinis, primordia urbium augustiora faciat.” Ita etiam de iis quæ in historia Christi „quæ humana sunt,” neque præter naturam evenisse narratur, non dubitant; vixisse aliquando Ju- dæum quendam Jesum, hominem sapientem purioris cuiusdam doctrinæ inter suos præconem, vixisse discipulos ab eo edocitos, doctrinæ præceptoris, quantum illam pro ingenii vel acumine vel tenuitate capere potuerint, vitæque præceptoris utcunque eam observare licebat scriptores, laudatores; sed quæ præter na- turam a vivente & mortuo doctrinæ autore sive propter eum facta narrarent, ea ita esse comparata, ut humani quid passi esse historiæ christianæ scriptores putandi sint; licere saltem judicium de veritate harum narrationum historica suspendere.

Relicto priori isto de historia primæva christianorum cogi- tandi modo, tanquam insulso rationis parum castigatæ & de vi- citoria ex iis, qui pro regionibus ultra insulam hancce sensuum limitibus circumscriptam, jacentibus, tanquam pro patria sua pugnant, reportanda desperantis artificio, quo luxuriantis phan- tasiae imaginibus loca ista munire audet, quæ non nisi argu- mentorum acie defendi possunt; relicto, inquam priori isto de Christi historia cogitandi modo, nostri ævi homines reliquas istas, quas commemoravimus omnino suas fecere vias. Humanum au- tem illud, quod passi sint scriptores historiæ Christi, alii in vo- luntate, quæ miraculosa in rem suam narrare quam vera ma- luerit, ad fidem scil. inter populares sibi conciliandam; alii in ratione scriptorum miraculorum historias avide satis arripient  
quæ-

quesiverunt; alii in utroque. Mirum sane videri debet, id etiam quosdam opinari: fieri posse ut in istis narrationibus sint quædam quarum miraculum non solum nostris temporibus sed etiam eo ipso tempore, quo patrata essent nemo tollere potuerit, ne is quidem qui miracula fecerit; nihil vero minus, quod omnino miracula dari negant, etiam hæc facta esse, negare cogantur.

## §. 5.

Sed quæritur nunc: quid, sumtis ex his interpretationibus & de veritate historica judiciis, quæ maxime placent, pro religionis christianæ veritate inde colligi possit, atque hæc illa est quæstio, quæ mere philosophica est.

Cel. KANTII de Schola Theologi plerique philosophema illud responsis suis præmittunt: etiam tum, si probare possemus, explicari omnino non posse facta illa ex iis, quas natura sequi solet, legibus, nihil tamen pro divinitate inde colligi posse. Scilicet rationis nostræ illam particulam, quæ omnium, in sensu cadentium causas quærere nos cogit, ipsas illas causas non nisi in hac temporis & spatii limitibus circumscripta rerum natura quærere; nec licere nisi ad quærendam universæ rerum naturæ causam, ultra hos fines excedere, quia nullam aliam nisi hanc omnium causam ultra fines sensuum persequi finis bonorum a ratione præscripti necessitas exigat. Quodsi igitur re vera existant, quæ nos ex legibus naturæ non possimus explicare, de iis aut ἐπεκτείνειν præcipiunt, aut judicare: ea, quamvis explicare nos non possimus, tamen præter naturam necessario facta esse non debere.

Quocunque statuas, pro religionis christianæ veritate nihil inde colligi posse, si aut dubium sit, aut plane falsum, quod ipse

7) v. Neues Theol. Journal, von junctorum, contra hanc opinionem Ammon Hælein und Paulus 1797. monuit. p. 200, fs. 227<sup>4</sup> fs. Additis 3 St. p. 284. fs. 5 St. p. 463. fs. conf. iis, quæ in Lib. Magazin für christl. ea, quæ Ven. Author animadversio. Dogm. und Moral, herausgegeben num Diff. Storrianæ in doctrinam Kantii de religione philosophicam ad- von D. J. F. FLATT. I Stük. 1796. nro. II. de hac re differuntur.

ipse Deus in re christiana operantem se ostenderit. Addere possint, etiam tum, si probari possit, quod probari nequeat: praeter naturam esse aliquid a Deo patratum; valde incertum videri, utrum ad introducendam religionem christianam id in rerum natura factum sit, an propter alias causas, quas ratio humana consiliorum divinorum plane nescia invenire non possit.

Concedunt tamen, ut nihil eorum, quæ in mundo fiunt, sine nomine fiat; ita etiam de miraculis Christi idem esse statuendum. Neque etiam causam subesse, cur non credamus, miracula ista, quæ fecerit Jesus, eo consilio a Deo concessa fuisse: ut multis benefaceret, ut homines mirabilitate harum rerum ad audiendam doctrinam cogeret, quæ melior certe fuerit ea superstitione eaque philosophia, quæ antea florisset; ut denique benefactis illis bonam de moribus suis opinionem insinuaret, exemplique suo morum præcepta, & prudentiores saltim rerum naturalium perfectionem scientiam diceret.

Ita plurimi criticæ philosophiæ amici. Aliter judicant ii, qui a Kantianis dogmatici audiunt. Plerique enim ex his non admittunt ἐπεκτείνειν illud, sed, quod structa semel machina mundi nihil opus sit, ut Deus sapientissimus universi auctor aliquid quasi peccatum refarciat, & quoniam hanc ipsam ob causam confunderentur leges naturæ, si aliquid praeter naturam fieret; propterea nihil, ajunt, argumenti inesse miraculis, unde colligi possit, Deum doctrinam illam docere voluisse, quia omnino veri nominis miracula fieri non possint. Si igitur aliquid praeter naturam factum videretur, hominum id aut astutizæ aut pize fraudi (sapien-tiam vocant) esse tribuendum, & cernentium audientiumque stultitiae. Propterea aut universam Christi doctrinam ut impostoris figmentum rejiciunt, aut quæ in ea religionis naturalis capita reperiuntur, retinent neglectis iis, quæ aut plane non, aut non nisi miraculis confirmari possunt, personæ Christi magis minus-ve parcentes.

### §. 6.

Historica hac variorum de miraculis Christi & Apostolorum cogitandi modorum recensione præmissa, liceat nobis cogitata quæ-

quædam qualiacunque in medium producere, quæ nobis scriptum quoddam hujus argumenti, legentibus in mentem venere; cui titulus præfigitur: Versuch die Wundergeschichten des N. T. aus natürlichen Ursachen zu erklären von J. C. F. Eck. Berlin 1795. Periculum facit Cel. Auctor, an salva religionis christianæ auctoritate, & salva Christi & Apostolorum fide miracula N. T. ex consuetis naturæ legibus ita possint explicari, ut nihil restet, quod ab iis abhorreat. De hoc igitur libro pauca nobis erunt dicenda, respectu tamen habito ad ordinem quæstionum illarum, quas initio harum paginarum definire conabamur.

## §. 7.

Quod exegeticæ sunt primæ illæ quæstiones, (§. 1. 2. 3.) interpretatio autem omnino exhiberi non potest, nisi prius regulas quasdam, ex rei natura fluentes, inveneris quibus omnis, quæ justa sit, interpretatio accommodata esse debet; primum de hermenevtica auctoris arte pauca erunt dicenda. Primum quidem, quid sit interpretari? parum luculenter docet Cel. Auctor, &, nisi omnia nos fallant, cum interpretatione ex *verbis* haud raro confunditur interpretatio ex *rebus*. Prior illa: *quid dicere voluerit* auctor libri? *hæc*; *quale sit id*, quod dixerit? *quærit*. Facile est intellectu, secundum illud interpretationis (perperam sic dictum) genus adhiberi non posse, nisi præcesserit interpretatio ex verbis; quoniā de eo, quod ignotum est, judicare non possumus. Quod autem sæpius in hoc errore versetur Cel. Auctor, ipse fatebitur, si ea, quæ sequuntur, comparare & componere periculum fecerit. Verissimum est omnino, quod ait: si quis scripturæ sacræ veritates (p. 21, seq. Schriftwarheiten p. 22. Bibelwarheiten — die eigentliche reine von allem Zusatz abgesonderte Warheit — den richtigen Sinn des Texts, quæ omnia opponuntur opinionibus humanis) ac nihil aliud in scriptis facris invenire velit, quam quid scribentes cogitaverint, dixerint? 8)

caven-

8) cf. p. 26. es muss geprüft werden — ob sie jetzt so reden, So ein- ander verstehen konten — &c. wenn man anders hinter die Wahrheit kom-

cavendum esse ab omni cupiditate, nec antea ex philosophemate quodam decernendum, quid inveniri velimus; <sup>9)</sup> & quoniam divinæ originis esse libellum quendam docere non possumus, nisi antea, quid contineat, quali tempore, qua auctoritate promulgatus sit, intellexerimus, facile patet etiam illud: inspirationis cogitationem ad interpretationem ipsam nihil facere posse. <sup>10)</sup> Concedimus porro, cogitationem illam, quod legatus divinus non nisi miraculis confirmari possit, non impellere nos debere, ut miraculorum mentionem invenire cupiamus ubi nulla est. (confr. l. c. p. 14.); neque etiam illud negare animus est: omnia narrationis verba & contextum omnem improba industria observari debere, ut nihil nos fugiat, quo ad intelligendam scriptoris mentem uti possimus. Miramur vero, qui fieri potuerit, ut idem auctor aliud quoddam hermenevices principium sumere videatur, quod non ad interpretationem ex verbis, sed ad eam, quæ fit ex rebus, dicit, — qui fieri potuerit, ut eum modo putet esse verum verborum sensum posse, qui narrationem exhibeat nullis præter naturam factis inquinatam, aut eundem saltim verisimilium esse; quia nempe verisimilius sit, fieri aliquid ex legibus naturæ, quam præter has leges <sup>11)</sup> (p. 30.). In interpretando nihil certe refert, quam verum sit aut falsum, quod dixit auctor; quoniam quid dixerit? quærimus primum, non, quale? (p. 21. 22. l. c.) Et, si quid dixerit quod absurdum

no-

kommen, keinen fremden Sinn hineintragèn, und nichts anders darinn finnen will, als was wirklich darinnen lict.

<sup>9)</sup> p. 21. Man hüte sich vor allen Dingen an das System zu denken, seze sich nicht mit der Meynung hin, als ob nur dasjenige Schriftwahrheit seyn könnte, was sich mit dem gangbaren Lehrbegriffen verträgt. Monemus, de novis systematisbus idem valere, quod de iis, quæ antiquitas ex hominum memoria delevit.

<sup>10)</sup> p. 22. Denke bei deinem Vorhaben auch nicht an Göttlichkeit und Inspiration der Schrift.

<sup>11)</sup> Simili errore WOOLSTON An-glus in Lib. Six Discourses on the miracles of Jesus 1727. 28. 29. ex eo, quod absurdia continentur narrationes istæ, si ex verbis interpretaris, colligit, allegorice eas esse interpretandas. Licit haud verisimile sit, virum haud sane ineptum locutum esse, quæ senserit.

nobis & falsum videtur; non sequitur, justum esse, ut sumta quadam verborum significacione, quæ narrationem exhibet rationi quidem magis consentaneam, sed ab ingenio ævi ipsiusque scriptoris, vel etiam a contextu abhorrentem, absurdæ narratio- ni quasi subveniamus; id potius justum esse putandum est, ut, prout invenerimus arte exegistica textum, homines de quibus sermo est aut pro divinis, si ratio postulat, aut pro impostoribus aut pro stultis habeamus; eum sensum verborum præferentes, quem præcedente linguae usu contextus, & consilium scriptorum exigit.

At vero in universum (cf. §. 1.) dici potest, quod et Cel. Auctor concedit, (p. 292.) Iesum ipsum miraculis (sive vera sint sive falsa) id efficere voluisse, ut populares sui & coœvi facta illa pro miraculis veri nominius haberent, atque ex iis colligerent, quod inde colligi solebat tum temporis. Doceri porro potest: scriptores N. T. ea, quæ miracula nos vocamus, eo consilio narrasse, ut Iesum tanquam prophetam popularibus suis ostenderent (l. c. p. 328-32.) Quodsi vero hoc voluerint, ab hoc certe consilio valde abhorret, ut vocabula, quæ dupliciti sensum admittunt, ita intelligi voluerint, ut nihil narraretur, nisi historia quedam, quæ prudentioribus lectoribus primo aspectu talis videri poterat, quales quotidiana exhibet consuetudo. Hæc vero observatio facile etiam confirmatur, si exegeses auctoris consideres.

### §. 8.

Haud enim raro sumto illo, quod supra memoravimus (§. 7.) interpretationis principio, is verbo um sensus verus judicatur, contra omnem textus analogiam & linguae usum, qui narrationem auctoris rationi maxime consentaneam exhibet.

Nullo scil. linguae usu probari potest, Joh. IX, 1. τὸ φλὸν ἐκ γενετῆς, v. 2. 20. 32. τὸ φλὸν γενεθῆαι significare posse, hominem cœcum non a pueris. Nihilo vero minus (l. c. p. 28. 29. coll. p. 204.) sumit, hæc verba nihil aliud significare, nisi hominem oculorum quadam imbecillitate, quæ facile sanari poterat,

rat<sup>12)</sup>), ex longo tempore captum; atque argumenta, quibus utitur, non ex linguae usu, sed ex rei absurditate sunt desumpta, quæ narraretur, si ex usu linguae (cf. §. 7.) interpretaremur. Quid vero? si quis, adhibito eodem interpretandi modo, sumeret, fieri non posse, ut miracula fiant ad confirmandum aliquem doctorem insanias res docentem; atque inde colligere vellet: ergo e. g. ea, quæ Philostratus atque ex eo Flavius Vopiscus in Aureliano & Xiphilinus de mortuis narrant & ægrotis, quos Thyanensis Apollonius ex mortuis suscitaverit & sanaverit, ita esse intelligenda, ut scriptores non vere mortuos, sed mortuorum similes intelligi voluerint. Ex aliis certe argumentis sequitur (*historicas* nempe) fabulam narrari, non historiam; sed hoc certe argumento esse non potest, quod & scriptor, miraculorum fane cupidus, idemque verbis usus, quæ non mortui similem, sed mortuum significant, ita intelligi voluerit, ut intelligi non poterat ab iis, qui audiebant.

### §. 9.

His exemplis annumeramus etiam locum Act. XX, 9. quem Cel. Auctor l. c. p. 239. interpretatur. Primum enim in versione sumitur, quod probari posse negamus, vocem νεκρος usurpari posse de homine, mortuo simili, qui tamen non mortuus fuerit. Neque nos impediunt exempla illa, quæ venerand. SCHLEUSNERUS in Lexico N. T. sub voce νεκρος ad vindicandam hanc significationem attulit. Ex parte enim particulam οιστι sibi apuditam habent; hic vero absolute ponitur νεκρος ηρθη. Locum vero unicum Luc. XXV, 24. 32. ita etiam interpretari possumus: „qui erat perditus & infelix, resipuit & felicior est factus.“ Bene etiam consentit parallelismus v. 24. 32. ἀπολωλως και ἐνρεθη. Vox enim ἀπολωλως si de hominibus usurpatur, haud raro significat homines qualicunque modo infelices & perditos, e. g. Matth. XVIII, 11. ubi opponitur vox σωσαι, ut nostro loco ἐνρεθη.

<sup>12)</sup> Idem a WOOLSTON lib. cit. propositum est. cf. LELAND l. c. T. I. 176.

*κεινού.* 13) Concludimus inde: probatum nondum esse, quod vox *νευρὸς absolute posita usurpari possit de physico torpore, morti simillimo.*

Quodsi vero etiam hoc probari posset, dubium esset, utra earum significationum adhiberi debeat. Nulla enim est causa, cur dubitemus, Lucam, qui tot Christi & Apostolorum miracula narraverit, etiam hoc pro miraculo habuisse. Neque etiam hoc scimus: annon hoc potissimum tempore & loco discedens Epheso Paulus confirmare miraculo aut miraculi specie voluerit Ephesios.

Ut vero aliquis sine damno vitæ *ἐν τρισέγγυα* decidere in terram possit, (p. 240. l. c.) fieri posse non negamus; sed hac certe non evincitur: *Lucam* hoc loco id *factum* narrare. Neque etiam verba Pauli v. 10. *ἴτυχη ἀντεὶ ἀντεὶ ἵστη*, repugnant; bene enim *patrato miraculo* dicere illud poterat. cfr. v. 10. (*ἐπειπτεῖν ἀντεὶ καὶ συμπεριλαβεῖν εἰπεῖ*.) Sapientis igitur esset, *επειχεῖν*, nisi argumenta pro vera adolescentis morte pugnarent.

Primum enim sedens in fenestra & dormiens Juvenis (v. 9.) non potuit non ita decidere, ut tergum & occiput incidentis strata lapidea ferirent, quod cum ita sit, multo sane verisimilius est, mortuum esse ex lapsu, quam vivum eumque incolumen (v. 11.) ex terra surrexisse. Affert quidem Cel. Autor exempla hominum, qui ex casu simili incolumes mansere; sed non satis est, narrasse, quod deciderint, sed *quomodo* deciderint, addere opus est, si eos cum hoc nostro juvene comparare velimus. Ceterum multo facilius explicari potest, cur narraverit Lucas hanc historiam, (cfr. 240.) si rem pro miraculo habebat, quam, si non habebat. Fieri quidem poterat, ut Pauli humanitatem hac nar-

13) Respondet igitur pater: Licet semper parueris præceptis meis, & bonum te præfiteris, nihil tamen obstat, quo minus de mea in fratre liberalitate gaudeas. Licet enim haud ita bonus, & de eo tanquam de mortuo desperandum fue- rit, (*νευρός*) præter omnem spem nunc resipuit. Ita etiam interpretatus esse videtur locum Vener. SCHLEUSNERUS, Lex. p. 142. 1 B. sub voce *ἀναγνῶν* adhibet enim Theophylacti interpretationem: *ἄπο μαρτυρίου εκαθαρίζῃ, ἐπει* *νευρωτεως ἀνεγένεται, καὶ ἐξ ἀπολέμου ευρεῖται*.

narratione ostenderet; sed narrandi genus, quod adhibuit, hoc non docet. Illud potius exaggeratur, quod *mirabilem* reddit historiam: quod nempe ἐν τριστού deciderit, quod desperatum sit de eo (ὑπὸ την γένος), quod subito ita confirmatus fuerit, ut cibum capere & colloqui posset, & magnum periculum, de cuius exitu omnes desperaverint, etiam verbis illis exprimit: maximam ex vita pueri consolationem natam esse. Nihil de humanitate, nihil de Apostoli docentis cura continet narratio: hæc autem pro vera juvenis morte argumenta, si non evincant, vere mortuum habuisse Lucam adolescentem; ex rei certe miraculo nulla sumi potest causa, cur vocem γένος non ita vertamus, ut significet vere mortuum. Non enim ex rebus, sed ex verbis interpretari, & si nihil doceant verba, fateri, quod non possimus interpretari, boni interpretis est.

## §. 10.

Aliæ sunt Cel. Auctoris interpretationes, ubi non eas quidem verborum significations, quæ probari non possunt, adhibuit, sed tales tamen, quæ probari quidem, sed hoc certe loco adhiberi non possunt. Sequentia sufficiant exempla.

Ex rebus certe interpretatur Cel. Auctor, si verba Luc. II, 9. καὶ οἱ, ἀγγελος κυριος επεστη ἀντοι, vertit (nach dem Sprachgebrauch p. 34. n. l.): ein unerwarteter außerordentlicher Bote &c.

Verum quidem est, Angelos significare posse legatos quosvis, nec opus esse, ut ubique angelos stricte sic dictos intelligas. (p. 44.) „Sed nunc non erat his locus.“ Ita enim depingit Lucas angelum istum, ut Judæi divinos istos legatos, quos hominum curam habere credebant, depingunt. Δοξα κυριος περιλαμψει & sequitur illum σερατια φρανος, revertuntur demum angeli in cœlum. Non de eo loquimur, an vera narraverit Lucas, fabulam narraverit interea, sed eam certe, quam auctor singit, non interpretatus est fabulam, non narravit. Non enim linguae judaicæ usus est, pastores, laternam ferentes, vocare מלאכי ותורה, neque laternæ fulgorem vocant, אדור יהונתן, neque

neque fugientes pastores hebraice dici possunt angeli in cœlum reduces. Cel. Auctor vero ex linguae usu desumptam interpretationem promiserat. Eodem modo concedimus p. 54. πνευμα θεος saepius significare vim divinam; id etiam, quod divina virtute effectum est. Tonitrua etiam Dei voces appellari. Sed nullo in loco, de tonitrua simplici dicitur, locutum esse aliquid, <sup>14)</sup> quod intellectum fuerit. Observatio igitur illa hoc loco nihil docere potest. Qui tandem etiam sine absurditate fieri potuit, ut Johanni prædiceretur, eum, in cuius baptismo tonuisset, & in quem sine damno fulmen decidisset, verum esse Messiam. Nihil signi video, nihil, quod non cuivis homini contingere potuit, & contigit certe quibusdam. Sequitur inde, Matthæum, Marcum, Lucam & Iohannem, qui alludit, nisi quidem insanientes fabulam misere coherentem, ita narrare voluerunt, ut nemo eam intelligere posset, credi voluisse, quod id factum sit, quod non nisi præter naturam evenire potuit.

## §. II.

Mirum sane videri non potest, auctorem, qui, quid sit interpretari non satis clare doceat, ad primam etiam illam quæstionem: *quid Christus & Apostoli de se & miraculis suis cogitaverint*, haud satis perfecte respondisse. Etenim qui, quod ipse absurdum atque ineptum putat, omnino scribi potuisse negat, eam ipsam ob causam cogitat, hominem, quem (nescio cur?) sapientem esse judicat, nihil proferre potuisse, quod miraculis veri nominis fidem aliquam conciliare posset; quoniam ipse absurdum putat, hominem divinitus edoceri (p. 328.) absurdum miracula fieri, (p. e. g. 2. ss.) absurdum ex *miraculis* divinitatem i. e. veritatem doctrinæ alicujus docere. (p. 4. 7. f.) Cavendum igitur eidem ne Christum tale quid dixisse concedat. Propterea omnia colligit Cel. Auctor, quibus doceat, Jesum, quamvis bene sciverit, naturæ quotidiana consuetudine facta esse miracula sua,

14) Apocalypseos loca huic pertinentia voces tonitrua similes innuant.

sua, occultasse tamen illud, ad plebem alliciendam, quæ doctorem, qui miracula non ediderit, audire fidemque ei habere non suisset. (cf. p. 34. §. 10. coll. p. 291. ls. n. 1. p. 314. 315.) Ne scio certe, qui fieri potuerit, ut a Christo, quem saltim pro homine sapientissimo & optimo, ne dicam pro sanctissimo habet, (cfr. Lib. c. p. 34. §. 10. coll. lib. Religion für Menschen. &c. von J. F. Eck. Berlin 1797. p. 17. §. 3. in prim. p. 22.) Auctor do-  
lum illum patratum esse sibi persuaderet,<sup>15)</sup> quo summam ar-  
gumentorum, ob quæ credendum sit ipsi, in eo ponere se do-  
ceat, quod ipse pro falso habuit, scil. in miraculorum suorum  
auctoritate. Aut, num quæso! vel parum verisimile est, sperare  
potuisse hominem, qui certe, si doctrinam christianam invenit at-  
que introduxit, fatuus esse non potuit, eas, quibus ipse in pa-  
trandi miraculis usus sit, artes, non detectum iri, & miracula  
pro sinceris haberi posse, non solum a popularibus & coœvis  
suis, verum etiam a posteritate, & tanti facere hæc miracula,  
quanti fecit (cfr. Religion für Menschen p. 17. 19. §. 3.). An  
verisimile erat, non modo neminem Apostolorum & septuaginta  
illorum discipulorum (Luc. IX, 1. Matth. X, 1. Marc. VII, 7. 12.  
13. Luc. X, 1. coll. 13. 17.) quos, quoniam & ipsi miracula ede-  
re didicerunt, artes quoque illas didicisse oportet, & in quibus  
certe Judas erat, (Matth. X, 4.) quem bene novit Christus (Joh.  
VI, 70. XIII, 18. 19. 26.) horum, inquam, neminem prodi-  
tum esse dolos istos, quibus uteretur? Aut qui sperare potuit, fo-  
re, ut se mortuo discipuli artibus his usi magnum sibi populum  
colligerent, (cfr. e. g. Marc. XVI, 15-18.) atque etiam hosti-  
bus suis tum coœvis tum posteris ita essent imposituri, ut do-  
ctrinam suam nunquam perituram esse certum haberet. (cf. e. g.  
Matth. XVI, 17. 18.) Quidquid igitur sit, quod Christus mira-  
culis suis effecit; id certe clarum est, Christum ipsum miracula  
sua pro veris habuisse, nisi quidem, contra omnem veri sen-  
sum, immensæ eum fatuitatis insimulare velimus. Atque id ita  
etiam

---

<sup>15)</sup> cf. Götting. Bibl. der neuſten ner und Städtlin. 2 B. 1796. 1 St.  
Theol. Literat. herausg. v. Schleus. p. 204.)

etiam clarum esse videtur, ut ipse Auctor etiam concedat, Christum ipsum saepius certe non praeparasse artibus miracula sua, sed, cum dignitatem suam per longum tempus ignorasset (cfr. p. 51. §. 14. ls. des Versuchs.), tandem, mirifico illo providentiae divinæ beneficio, fulminis istu non læsum (cfr. p. 54. l. c.) tantam de dignitate sua opinionem, tantam in Deum fiduciam accepisse, ut artes illas, quibus actiones quotidiana consuetudine vulgatas pro miraculis obtruserit hominibus, inciperet, atque etiam eo usque audaciæ procederet, ut Deum, vel in maximis periculis, sic praeparasse omnia, ut dolus nunquam posset aperi, sibi persuaderet. (cfr. e. g. p. 257.) Non pertinet huc, judicare, an recte id Deum facturum esse, expectaverit, nimirum illum, mendacio rem, vel optimam, esse adjuturum; id solum queritur: an Christus, si ea, quæ scripta de eo legimus, consideres, id cogitare potuerit? quod nos certe negareaudemus. Primum enim studium veritatis in eo tantum erat, ut Matth. V, 37. discipulos doceret, ita esse agendum, ita loquendum, ut, si quid simpliciter affirment vel negarent, nulla de rei veritate dubitatio oriri possit; ita, ut nulla ad sacrosanctum quid provocatione opus sit. Quodsi vero Jesus in re maximi momenti, scil. in quæstione illa: an Deum pro miraculorum suorum auctore haberet, — non solum ipse mentitus esset, verum etiam discipulos (qui & ipsi miracula perfecere) mendacium hoc repetere docuisset; quis componere hæc audeat? qui tandem fieri potuit, ut præceptor veracitatis tam severus, Numen sapientissimum idemque potentissimum, cui certe, vera miracula patrare, non majus negotium facessere potuit, quam naturam ab illo statim rerum omnium initio ita instituere, ut falsa miracula pro veris haberentur; qui fieri potuit, ut Jesus eum, quem Joh. VIII, 44. ls. veracissimum vocat, sibi persuaderet, dolo malo rem per se bonam esse adjuturum?

Sed fortassis Jesus licere putavit mala facere ut bonum eveniret? (Rom. III, 8. ποιῶμεν τα πάντα ίντι εἰδόθη τα αγαθά ὡς το κρίμα ἐνδικού εστι) At vero veritatem certe Christus ita collauit, ut nullæ aduersariorum minæ, nec mors ipsa potuerit eum

C. 2 ad

ad mendacium compellere. Etenim poterat Jesus, favente romano praetore Pilato, si pontificibus, phariseis aut saducæis se ad junxisset, & magnam, quæ ipsum sequebatur populi catervam ad evehendam eorum potentiam & dignitatem adhibuisset, ac spem populi de ea quam exspectabat βασιλεια των θρων, fovisset, supplicium evitare, atque ita doctrinam suam adtemperare iudaicis exspectationibus, ut non opus fuisset cruciatibus illis, quibus ipse & Apostoli ejus afficiebantur, si mendacio rei suæ consulere voluisse. Non enim, quia novam inter Judæos sectam colligere studeret; sed, quod nihil, spei Judæorum de Messia suo conceptæ consentaneum suscepisset, & quod superiorem se esse omnibus, & omnium etiam judicem falli nescium contenderet (Joh. VIII, 50-59. <sup>16</sup>) (cfr. Joh. X. in prim. v. 24-30. cf. STORR über den Zwek der evang. Gesch. und Briefe Joh. p. 438.) & quod talis homo miraculis sibi viam parasset ad populi animos, qui ita remotus erat ab omni studio populum judaicum evehendi, ut, si doctrina ejus omnes Judæos pervaderet, nemo esset qui Romanis, spes illas & populum ipsum penitus deprimere cupientibus se objicere auderet, ita ut nemine obtante intereat populi politica quæ dudum ægrotabat dignitas; hoc, inquam erat, quod bilem movebat fastumque eorum offenderet (cfr. Joh. XI, 47-50. <sup>17</sup>). Quodsi igitur Jesus bene sciens, hoc sibi fatale futurum, si dictum illud de summa sua dignitate, quæ non esset τοις κοτύραις τοτε, non revocaret, supplicium hominis blasphemii subire, & blasphemus *videri*, quam mendax *esse* malebat <sup>18</sup>) quum tandem veritatem magis quam vitam coleret; conde-

<sup>16</sup>) cfr. Summe Rever. D. PRÆSID. Diff. in Libb. N. T. historicor. aliq. loca. P. III. p. 50. ss, &: Ueber den Zwek der evangel. Gesch. und Briefe Johannis p. 425. §. 85. Matth. XXVI, 63-65. incl. coll. Luc. XXII, 70. 71. Marc. XIV, 61.

<sup>17</sup>) Ita nobis intelligendum esse videtur hic locus, quoniam non vide-

mus, cur pontifex in confessu hominum qui timendi certe non erant viro potenti, vera animi sensa, (certe enim non pro rebelle habebat Iesum) occultaret. Versio non obstat, manet enim eadem, ut cumque rem intellexeris.

<sup>18</sup>) cfr. Joh. VIII, 57. ss. coll. Lib. cit. a. h. l.

dendum sane, ut opinor, non spem quandam de futura aliqua utilitate, quam ne prævidere quidem sine miraculo potuit, eum impulisse, ut divina miracula mentiretur. <sup>19)</sup>

§. 12.

Ita etiam cum sapientia illa doctoris Christi, quam in libro illo: Religion für Menschen &c. sèpissime laudat Cel. Autor, non video, quomodo conciliari possit, quod perhibet, Christum quidem ipsum nihil creduisse argumenti (cf. §. 2.) ad probandam religionis a se præpositæ divinitatem miraculis inesse; sed usum esse hoc argumento propter popularium atque ætatis suæ ingenia; tempore nostro hujus erroris correctionem futuram exspectasse ac sperasse, nostri ævi homines inventuros esse: nihil probare miracula, tum vero argumentis ex sola ratione petitis immobilem fore doctrinam suam (cfr. §. 2. p. 3.)

Primum quidem hominis mendacis & temerarii est, non sapientis, argumenta falsa pro veris admittere, confirmare etiam illa & pro argumentis magni momenti venditare, cum videas ea falsa esse, & prævidere possis crescente hominum intelligentia vim argumentorum evanescere debere. At vero concedit Cel. Auctor tantam vim argumento ex miraculis desunto Jesum tribuisse. (e. g. p. 292 fs.) Multo autem magis temerarium esset & sapiente indignum, doctrinam, quæ multa continet, quæ ex ratione probari non possunt (quorum exempla exhibit libellus Religion für Menschen cfr. p. 17. §. 3.) quæ aut plane non, aut non nisi re in facto posita probari possunt, confirmare velle nugis admirationem populi ad tempus arripientibus. Id vero esset, velle, ut tum, cum melior ratio falsitatem horum argumentorum perspergerit, plane nulla adsint argumenta, atque ut ea saltim doctrinæ pars tandem evanescat, quæ aut his, aut plane nullis nititur argumentis. Quod autem Jesus in præcipuis religiosis a se promulgatæ capiibus etiam ea posuerit, quæ ex sola ratione colligi

non

19) Mortem Christi salutarem sò- prævidit, cadentibus tempore mor-  
re rei Christianæ nemo prævidere tis ejus omnibus.  
poterat, qui non resurrectionem &c.

non possunt, exemplo satis luculento evicit S. R. Dn. PRÆSES in tractatione illa, quæ legitur in libro edito a S. V. D. FLATT: Magazin für christl. Dogmatik und Moral 1. St. p. 119. Restat igitur, Christum ipsum miracula habuisse pro factis præter naturam a nomine sibi propterea concessis, ut eam ipsam ob causam, quod præter naturam, consilio divino, evenisse ea pateret, doctrinæ suæ fides haberetur.

## §. 13.

At fortasse narrationes illæ ita sunt comparatæ, ut nihil in iis miraculi insit, si modo linguas, quibus scriptæ sunt, bene intelligas, populique ingenium (cf. §. 3.) Ita Cel. Autor; videamus, quomodo cedat opus. Quæritur primum, an in eo, quod scriptum legimus, qualemque sit, contineantur causæ, cur credamus: narrare voluisse scriptores facta, quæ humanas & omnino naturæ vires superent; tum vero, quæ fides habenda sit narrationibus eorum. Facile cernitur, nimis longam esse & limites tractationis hujus excedere συγχρόνιον omnium auctoris interpretationum; unum sufficiat exemplum, narratio illa de sanatione ægroti illius, quem Johannes 9, 1. fs. cœcum natum fuisse affirmat. Hoc exemplum eo luculentius docebit, non solum, quomodo torqueat verba textus, ut rei miraculum ejiciat, sed etiam, quam fidem scriptoribus novi testamenti tribuat (cf. p. 321. 331. cum quibus sane conciliare non possumus ea, quæ alias ex. gr. p. 320. n. 2. de dignitate horum scriptorum leguntur.) Jam initio libelli ait Cel. Autor (præf. p. 4.) velle se ita interpretando novam fidei historicæ librorum sacrorum lucem adspergere, (præf. p. 1.) laudat etiam p. 320. curam, memoriam, ingeniumque scriptorum acri virtute vera a falsis discernentium. Quomodo vero intelligi id velit, p. 319. in primis vero p. 321. declarat. Nempe fides illa historica non ea est, qua nullam partem narrationis pro falsa habere, nullam vitio scribentis, aut consilio perperam narrari aut omitti crédimus, atque ideo credimus, quod hi præsertim scriptores animi integritate pariter ac mentis sanitatem conspicui rem narrarunt; imo vero, talis est illa fides historica, quæ eodem

eodem jure vilibus istis mediæ ævi annalibus, aut fabuloſo cuidam poëtæ tribui posſet. Dantur omnino gradus fidei historicæ, quorum ſummus is mihi eſſe videtur, ſi cauſa adſuerit, cur auctorem omnia, etiam illa, quæ primo adſpectu minimi videntur eſſe momenti, quæ adſpici, audiri, legi poſſunt, recte animadverтиſſe, audiſſe, legiſſe credamus. Nihil attinet, an de iis, quæ recte animadvertit, recte judicaverit; quia non auctoris de factis judicia, ſed facta cognoscere volumus. Ita etiam, ut exemplum illo Joh. IX, 1. f. utamur, nihil ad fidem historicam Johannis mi- nuendam facit; ſi falſo crediderit, cœcum iſtum à natalibus cœ- cum fuifſe, neque etiam id, ſi pro miraculo habuerit fanatio- nem, quam nonniſi medicina vulgari adhibita perfecerit Christus; id enim querimus, an ea, quæ a parentibus cœci, quæ ab ipſo homine, quæ a pharisaïis dicta narrat, recte audiverit, an ea, quæ Iefus cum homine fecit, recte obſervaverit, & ad veræ hi- storiae fidem nobiscum communicare voluerit. At vero, ſi verum eſt, quo d. cel. Auctor p. 204. f. affirmat: non a natalibus cœcum fuifſe hominem, multum fane ad fidem historicam Johanni ha- bendam deeffe, immo vero illum hominem vanum nobis appa- riturum fuſpicor. Cum enim omnes adeo vel minimæ partes narrationis arguant, innatam homini fuifſe cœcitatem, & a Iefu eum fanatum luto & aqua (quibus alias, qui cœci ſunt, nati fa- nari non ſolent;) aut mentitus eſt Johannes, aut veri nominis miraculum eſt, quod narratur, aut Christus omnibus imposuit. Narrat enim Apostolus: Iefum ipsum id, quod fecit, pro mira- culo haberi voluiffe.<sup>20)</sup> Id certe extra omnem dubitationem eſt

20) Concedere poſſemus b. Moro v. 3. verti poſſe verba ἐγενέτο τοις θεοῖς: officium quo fungi debebat Meſſias. (cfr. b. Mori diſert. de teſtimonio Dei patris de filio ſuo, diſl. Theol. Vol. II. p. 271. f.) concedere etiam Max. Ven. D. Paulus (cfr. neues theol. Journal St. 4. 1797. p. 378.) ſignifi- care poſſe verba: modum, ſecundum

quem Deus agere soleat. Sed cum ea etiam significatio vocis probari poſſit, qua de miraculis uſurpatur, (cfr. S. V. D. FLATT Magazin I. St. p. 99. S. R. D. PRÆSIDIS doctri- na christianæ pars theor. p. 35. not. 2.) ex contextu hauriendum eſt, quæ ſignificatio fit adhibenda. Qui cum doceat, Iefum hanc fanationem pro mi-

est positum, discipulos Christi hominem pro cœco nato habuisse; siquidem quæ textus narrat vera sint. Quærunt enim v. 2. cur homo iste cœcus natus sit ( $\tauυφλος \acute{e}γεννθη$  coll. v. I.  $\tauυφλος \acute{e}n γενετης$  cf. §. 8.) Si vero crediderunt illud discipuli, & propterea sanationem pro miraculo habere cogebantur; ineptum certe erat, si noluerit Christus, ut eo in errore versarentur, non voluerit corrigere errorem illum: voluit igitur, ut homo pro cœco nato haberetur, voluit etiam, ut sanatio pro miraculo haberetur; non enim una die luto & aqua sanari solent cœci nati. Ipsi autem discipuli, Johannes etiam qui hoc scripsit, oculis observare poterant, an res ita se haberet; aderant parentes, qui a phariseis impugnati facile sane se expedire poterant, si, quod verum esset, faterentur, non cœcum fuisse, vel certe non cœcum natum fuisse filium, neque etiam ideo miraculum edidisse Jesum. Hæc autem si vera sunt, aut servata Christi fide, auctoris fictio, aut servata hac fictione, Christi fides cadit; si falsa sunt, de Johannis certe historica fide actum est.

Narrat porro Apostolus: ipsos adeo Pharisæos <sup>21)</sup> hostes Christi, (v. 28) etiam tum, quum cognovissent, quomodo (v. 15) cœcus visum recuperaverit, rem pro  $\sigmaημειῳ$  habuisse, <sup>22)</sup> quod certe non potuissent, si, aut Siloachi aquæ, aut lutum illud saliva mixtum nota innatæ cœcitatis remedia fuissent. At fortasse Jesus medicinam hanc invenit? sed nulli, ex isto tempore medici eam aut luti, aut salivæ aut aquarum frigidarum <sup>23)</sup> (p. 205) vim

miraculo haberi voluisse, quid obstat? quo minus eum etiam v. 3. id dixisse concedamus. Præsertim, quoniam doctrina Messiae imbui cœcus, & præcepti de sabbato servando severitas alii omnino modis, sine miraculo ex occasione hujus hominis tolli, sed eminens quoddam & divinum miraculum ( $\acute{e}gya \tauz \acute{e}ges$ ) infanibili morbo tam brevi tempore curando potissimum exhiberi poterat.

21) Eadem fere & multa alia contra Woolstonum animadvertisit Leland lib. c. P. I. p. 176, & Lilenthal in lib. die gute Sache der göttl. Offenbarung &c. X. Th. Königsberg 1762. p. 804, ss. in primis 809. ss.

22) v. 6. Idem etiam (cfr. Neues Theol. Journal I. c. p. 379.) tumultarius ille quæstionis indicat finis cf. v. 34.

23) cfr. Exs Versuch p. 204, & lib. Me.

vim invenere, qua cœci *nati* sanari possent tam brevi tempore. Illud certe ex Johannis narratione non poterit removeri, Phariseos *id* concessisse, quod τυφλος *en* γενετης fuerit. Cur enim alias factum illud tanquam σημειον viri docti potuissent admirari? cfr. cap. X, 21.

Plane cœcum fuisse hominem, etiam illud verisimile reddit, quod sanatus ex lotione, v. 36. Jesum non agnovit, quod fieri certe non facile potuit, si jam antea viderat Jesum. Si autem omnia hæc, quamvis Johannes ea narraverit, falsa sint; quæ est illa, quæ restet Johanni, fides historica? Hominem denique ipsum fatentem inducit, se cœcum natum fuisse v. 32. cœcos enim aut oculis captos etiam ante Christum multos a medicis sanatos fuisse, haud dubitare possumus. Sed nativam cœcitatem insanabilem esse, hoc in vulgus notum erat. Quod cum ille de semet ipse fateatur, aut præter naturam aliquid evenit, aut omnis hæc narratio Woolstoniana est allegoria.

### §. 14.

Duæ restant quæstiones, scilicet: quæ causa fuerit auctori tantum de fide scriptorum historia detrahendi? & an, ad defendendam illam, aliquid contra ea argumenta afferri posse, quibus cel. auctor ad destruendam eam utitur, aut certe uti videtur? Causæ dubitationis eadem sunt, quæ dudum Angli isti Libb. N. T. impugnatores attulere, aliisque, quos Lilienthal l. c. refutavit, qui liber describendus nobis esset, si cel. auctoris argumenta percurrere yellemus. Aliqua sufficient exempla.

Quæ de natura immutabili (e. g. p. 13.) disputat cel. auctor, diceens, propterea yeri similem non videri posse quamcunque mira-

Medizinisch hermeneutische Untersuchung der in der Bibel vorkommenden Krankengeschichten p. 446, ubi Christus aut collusisse cum Phari-

sæis (hostibus sc. suis!) aut fatendum esse dicitur: veri nominis miraculum a Jesu esse patratum,

raculi narrationem, (p. 1. 2. 30. 31.) ea e. g. jam Spinoza in tractatu Theologico-politico C. VI. (qui naturae leges ex systemate cum immutabili Dei voluntate confundit,) & Edelmann Confessione sua, attulerunt, nec est, cur Lilienthalii refutatione (e. g. l. c. p. 1004.) non refelli putemus etiam ea, quæ cel. auctor proposuit, exceptis iis, quæ contra pantheismum Spinozæ differuntur.<sup>24)</sup> Ita etiam ea, quæ p. 321. de cupiditate scriptorum, qui multa non observaverint, quæ dolum aperire potuissent, disputantur, lib. cit. b. Lilienthalii p. 1036. §. 41. multis refelluntur.

Restant quæstiones illæ: Quid argumenti cel. Auctor sumta hac sua interpretatione miraculis pro veritate religionis christianæ inesse credit? <sup>25)</sup> An argumentum illud, quod inesse sibi persuasit, admitti possit? <sup>26)</sup> quas vero, spatii angustia ad finem compulsi indicasse satis habentes alii tempori solvendas reservamus.

<sup>24)</sup> Quibus modestior recentioris philosophiæ de eo, quod fieri oportet, cogitandi modus addi potest, qua saltim ex aliqua parte ad defendendam nostram de miraculis doctrinam uti possumus.

<sup>25)</sup> Id docet Cel. Auctor in Tra-

statione operi subjuncta p. 291. usq. ad finem.

<sup>26)</sup> De hac quæstione fusim disputatur in annalibus philosophicis ed. a Cei, Jac. Halensi Philosopho 2tr Jahrg. 1796. 2 St. p. 247. & Gött. Bibl. 2 B. 1 St. p. 104. ss.

### Errata.

- p. 5. not. 3. lege, dele commate videri posset confundi,
- p. 7. lin. 21. l. ficti — fabulosi,
- p. 8. lin. 11. dele quæ secundum.
- p. 20. lin. 21. movebat l. moyeret,
- p. 21. lin. 8. lege propositæ.


cætera facile corriget benevolus Lector.

CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS HUIUS AUCTORI  
PRÆSES.

Qui dissident nobiscum de miraculis Jesu & apostolorum, vias, de quo ipius TUÆ dissertationis principium admonet, tam varias persequuntur, ut libelli academicæ angustiae iis omnibus examinandis nullo modo sufficiant. Omnes vero tandem, sive scientes sive inviti, ad divinam Jesu & apostolorum auctoritatem fidemque elevandam conspirant. Quamquam enim philosophus, cum quo §. 6. & jeqq. TIBI res est, discrete profitetur (Sect. III), divinae Jesu & apostolorum missione & auctoritati nihil se derogare; quamquam Spinoza, qui narrationes de miraculis pariter suppressissime fingit (Tract. theol. c. VI. p. 76. ss) naturales causas, unde isti eventus explicari possent, aliisque id genus philosophis, de quibus F. Socinus (de S. script. auctoritate c. II. p. 54) mentionem fecit, modestior est, quum resurrectionem Christi, a Spinoza allegorice intellectam (Ep. XXIII. XXV. Opp. posth. p. 453. f. 458), e miraculis prorsum eximere non audet (p. 156): eam tamen Jesu & apostolis agendi, hisque (Joanni certe ac Mattheo) narrandi quoque rationem tribuit, quae, si fidem apud letores inveniat, quidquid contra dicat Author, de Jesu & apostolis non potest non detrahere eorumque integritatem ac fidem in suspicionem adducere. Accedit, quod ipsum illud dogma de miraculis exterminandis sua natura etiam parit fastidium miraculi revelationis, nullique igitur, cuius veritatem assequi per se ipsa & docere nequeat ratio, Jesu & legatorum ejus affirmationi in animo philosophi dogmatici, qui constare sibi velit, locum rellinquit (v. cel. ECKIUM p. 4—9. 328 ss). Verum ii quoque ipsi, quos malle dicis (§. 5) ~~enix~~ in hac causa, cum omni sua modestia derogant de Christi & apostolorum auctoritate divina. Licet enim per suae philosophiae rationem decernere nequeant, fieri omnino haud posse, ut Deus extraordinario modo certas doctrinas patefecerit aut confirmaverit; eam tamen ipsam ob causam, ut jure suo ~~enix~~ videantur, ab argumentis, quibus divinam Jesu & apostolorum auctoritatem docemus, se defendunt, modo ea, quibus nitamus, miracula perhibentes philologica tantum esse, interpretatione, qualem cel. ECKIX her-

hermenevica patitur, facile eludenda, modo narrationum N. T. fidem criti-  
cam vel historicam certe in dubium revocantes, tum, eventa narrat, si quo-  
rum initia causaeque ex cognita rerum natura duci forte nequeant, argu-  
menta ad probandum firma esse, negantes. Ino, si qui etiam ea sint mode-  
stia, ut de ipsa ratione, quae ex perceptis miraculis ad agnoscendam,  
quae percipi ab aliis non poterat, doctrinarum Iesu & legatorum ejus  
originem divinam adducere conatur, re vera εποχω, vix tamen beatio-  
res sunt prioribus ipsis. Cum ipsorum quoque mens certe non moveatur  
testimoniis Dei & miraculis, (liceat enim MELANCHTHONIS verba usurpare in  
Praef. LL. praecep. theol.), nihil eorum amplecti possunt fiducia, in quibus  
causa certitudinis est revelatio Dei, qui est verax, sed, quia res sunt ex-  
tra judicium humanæ mentis positæ, nulla eorum est assensio. Nam fa-  
cile quidem intelligo, unde fieri posse, ut, qui, dum otiosi ac valentes sunt,  
momenta rerum, quas tractant, perpendere non solent, nullo negotio careant  
firmamentis adjumentisque, quae religioni hominis afferre queat auctoritas  
divinorum legatorum eaque nitens uberior notitia rerum divinarum. Sicubi  
autem res adversae vel mortis discriminem gravitatis doctrinae de altera vita  
sensem acuerant, simulque orta philosophicarum rationum dubitatio tardia-  
rem fecit animum ad pronunciandum de rebus tanti momenti; philosophica  
illa εποχη dulciorum profecto & longe optabiliorem fore confido certam, dum  
modo integrum nunc sit eam consequi, de sententiis a Deo traditis persuasio-  
nem. Quare, ut Philippi verbis rursum utar, illam dubitationem philosophi-  
cam seu εποχην nequamquam admittamus ad doctrinam, ecclesiae a Deo tradi-  
tam. Haeret aliqui in mentibus in hac naturae humanae corruptione ingens  
confusio dubitationum de Deo, quibus repugnandum est & opponendae sunt  
sententiae a Deo traditæ. Non alenda est hic aut laudanda dubitatio, sed  
sit fides certa assensio, οπερης, i.e. certitudo, qua mens, convicta divinis te-  
stimoniis, firmissime amplectitur vocem divinam de rebus non apparentibus,  
ut loquitur epistola ad Hebreos." Age, hanc επιστολην υποστην assiduo  
christianae doctrinae studio & obsequio firmemus, dum exitus tandem nos do-  
ceat, quam recte Iesu & apostolis assensi fuerimus. Hac ipsa ratione suspi-  
nebis ac tueberis expectationem, quam ven. PARENTI iisque, qui TE no-  
runt, movit stadium academicum, tam laudabiliter abs TE emensum.  
Scripsi Tub. d. IX. Sept. 1797.





Hb 663.

8°

ULB Halle  
003 007 421

3



Mur 1+3

KDT



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ULIS N. T.  
EMATA

S I D E

ATQUE DOCTISSIMO

I N Q

ISTIANO STORR

UBL. ORD. STIP. THEOL.

TENDENTE

CEPTORE PLE COLENDO

A T U R U S

I P S I T

R I C U S B A H N M A I E R

A. M.

N F E L D E N S I S .

S E P T. M D C C X C V I I .

F U E S I A N I S .